C iecinoris & lienis tollit. Vrinã mouet, menſes cit, lapidem frangit, & quæ in thorace ſunt glutinoſa extenuat & educit. Rectè itaq; recentiores in obſtructionibus renum & ueſicæ, earundemq; partiũ calculis hac herba utendum eſſe docent. Succus etiam eius herbæ ac florum eiuſdem ad caliginẽ oculorum inſtillatus confert.

DE SISARO. CAP. CCLXXXVII.

NOMINA.

Siſer. ΣΙΣΑΡΟΝ Græcis, Siſer Latinis, uulgo Paſtinaca, quod ei congener ſit, appellatur. Sunt qui extritis priorib. literis diminutrice forma Serullũ, aut Seruillam, aut Cheruillã, pro Siſerculo nominent. Germani ad corruptam hanc appellationẽ reſpicientes, Gerlin & Geirlin uocant.

Serullum pro Siſerculum.

GENERA.

Duo ſunt Siſari, Plinio lib. xx. cap. v. autore, genera. Vnum ſatiuũ, quod iterum duûm eſt generum; unum enim magnum dicitur, Germanis groß zam Moren. Alterũ uerò minus, quod ijdem priuatim Geirlin/weiß Morelen/klein zam Moren/uel Morchelen nominant. Alterum erraticum, quod wild Moren appellant.

Baucias. Officinis nonnullis Baucias dicitur.

FORMA.

Siſaron ſatiuum. Siſaron ſatiuũ caulem habet anguloſum, folia oblonga, & in extremitatibus inciſa, flores magnũ luteos, minus uerò candidos, ſemen latum & foliaceũ, radices intus candidas, iucundi guſtus, eſuiq; gratiſsimas. Erraticũ caule eſt bicubitali, foliis Pimpinellæ, ſed maioribus, flore luteo & umbella Anethi, ſemine lato & rotundo, ut ſatiuum, radice tenui ac longa.

Erraticum.

D

LOCVS.

Copioſe in Germania noſtra prouenit: gaudet enim frigidis locis. Satiuum quidem in hortis, erraticũ uerò paſsim in incultis, uberius autem in apricis pratis.

TEMPVS.

Vtrunq; æſtate floret, atque ſubinde ſemen producit.

TEMPERAMENTVM.

Siſaron Paulus in tertio ordine, Galenus autem rectius in ſecundo calidum eſſe ſtatuit. Satiuum autem ſiccum quidem ſimul in primo ordine, quandoquidẽ Venerem ſtimulat: erraticum uerò, quoniam adiectam habet amaritudinẽ quandã cum leuicula adſtrictione, ſiccius exiſtit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Suauis ori elixa Siſari radix, ſtomacho utilis, urinã cit, & appetentiã excitat.

EX GALENO.

Siſari radix cocta, ſtomacho grata eſt, & urinam mouet.

EX PAVLO.

Siſari radix cocta, ſtomacho utilis eſt, & urinæ ciendæ. Semen tenue eſt & diſcuſſorium, ualidumq; : idcirco ijs quos ſingultus & tormina male habent, cum uino exhibetur.

EX PLINIO.

Siſer erraticum ſatiuo ſimile eſt & effectu. Stomachũ excitat, faſtidium diſcutit. Ex aceto laſerpitiato ſumptum, aut ex pipere & mulſo, uel ex garo, urinam ciet, ut Opion credit, & Venerem. In eadem ſententia eſt Diocles. Præterea cordi conuenire conualeſcentiũ, aut poſt multas uomitiones perquam utile. Heraclides contra argentum uiuum dedit, & Veneri ſubinde offenſanti, ægriſq; ſe recolligentibus. Satiui priuatim ſuccus cum lacte caprino potus, ſiſtit aluum.

DE SYCE.

SISARVM SATIVVM MAGNVM.